



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Milus Ep. Mart. 4. Novembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

& virtutis & sceleris præmia. Ad sanguinis fontem fons alter aquæ limpidissimus exfillit, suasq; undas ita etiam hodie sociat, ut tamen ripam sanguine castissimo pictam numquam abluat, musisque odorem virtutis semper spiret. Porro Ben-vocus Martyris caput ad latronem asportavit, ut in eo velut speculo facinus suum & videret & fleret. Cæcum morti in eo loco devovit, & VVENEFRIDAM, juncto cum corpusculo capite, vitæ reddidit. Et Cadoci quidem ajunt etiam corpus disparuisse, (Orco nimirum cùm animâ tumulandum) VVENEFRIDAM verò in virtute tam doctam virginibus cæteris VVitheriaci magistram datam fuisse; illic miris multis illustrem ultimò concubâ nocte ab ipso Christo sponso ad nuptias evocatam abiisse. Ad has quid nî Mariani etiam vos itis? Ite, & si vox virgo vobis est, Hymenæum (licet) canite. Ex Surio.

Quid sit mundana dignitas & honor, appareat in pulvere; potestas & gloria cognoscitur in cinere; lascivia autē incontinentium & petulantia demergentur in barathri carcere. S.Laur.Justin.Ligni vitæ c.5.

S. MILUS E P. M A R T . 4.Novembris.

MILVS Persa cogitabat stipendia sub rege fa-cere. Sed cælum sibi auctoratum ad sua signa compulit, postquam horrido viso objecto, ostendit quam male ad tyrannum mundum fugitivi homines à Dœo transiremus, etsi tot stigmatibus, quot beneficiis ab hoc notati. Nec diu Christo militavit, cùm Pont. inaugurus ordines inter Christianos cœpit ducere. Sed non tam multæ gravesq; illi cum hoste, quam cùm domesticis pugnæ fuerunt: quamvis quæ pastorē noluerunt, perierunt.

Nov.

4. Nov. VITÆ S.ANCTORVM. 539
perierunt deinde oves, urbe & vitâ amissâ; quod
ipsum bonâ fide illis, sed non sine lacrimis MILVS
vaticinatus est. Alteri etiam Episcopo impen-
dentem è cælo vindictam prædictit; cumq[ue] ille
non audiret, verborum tonitrua fulmen excepit,
& surdas aures correxit. Virum principem gravi
ægritudine decubentem, admotis non manibus,
sed precibus absens curavit. His atque aliis ad-
duxit longè plurimos, in Christi leges ut jurarent;
sed non regem etiam, qui multis suppliciis excru-
ciatum MILVM ferro devovit, & carnificis munus
cum fratre divisit. Hos quoque semianimis Divus
adproperantem Nemesin jussit cavere. Nec nisi
diem hæc absuit. Postridie enim, dum ambo cer-
vum fugientem jaculo insequuntur, ambo exer-
rant, sed mutuis se vulneribus fratres conficiunt.
I, seram cæli vindictam memora, quando cervo
& jaculo ocyor venit. Ex Meneis.

Quidquid aliis accidit, tibi accidere potest: quia
homo es; homo de humo, limus de limo; de terrâ es, & de
terrâ vivis, & in terram revertēris, quando veniet dies
ultima, qua subito veniet, & forsitan hodie erit.
S.Bern.in Medit.

S. CAROLUS BORROMÆUS.

4. Novembris.

E Rubescens, puto, ad CAROLI purpuram omnes
purpurati. Reditus Ecclesiasticos, nec ab il-
lustriSSIMO parente aliter quam in pauperum usus
verti patiebatur. Galero & insulâ insignis Paro-
chorum vitam ipse inspicere, ipse morbidas ovi-
culas curare, ipse pro suggestu his acclamare, ipse
Sacramentis pascere. Quid h[ic] illi animarum pa-
stores, qui suum numquam numerant, quin neque